



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Attritio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

homicidio peccavit, quamvis excusetur ab excommunicatione, si adulter occisus sit Clericus, aut ab alia pena legislatoris humani, non excusatur tamen ab onere restituendi; quod si passione turbatus citra plenam libertatem, atque adeo citra mortale commisit homicidium, tunc immunis erit ab hoc onere, quod cum sit grave, non nisi ad culpam gravem consequitur.

24. Quæritur. An pro injuria, & dedecore in Maritum redundante ex adulterio conjugis, debeat ab adulteris aliquid restitui?

Resp. Si adulterium sit notorium debent veniam ab ipso petere, & honorem coram aliis exhibere in compensationem contemptus; si verò sit occultum tenentur majora obsequii signa ostendere in satisfactionem injuriæ, ita ut non possit in cognitionem criminis deveniri.

25. Quæritur. An uxor, & adulter possint licite, se defendere, & cum moderamine inculpatae tutelæ etiam occidere Maritum, à quo iniuste invaduntur?

Resp. Posse, ratio est, quia ex quo adulteri dent operam rei illicitæ, ob quam invaduntur, non confertur Marito jus eos occidendi, nec ipsi privantur jure se defendendi contra iniustum aggressorem, eumque cum dicto moderamine occidendi, nam in ordine ad eam occisionem considerantur innocentes; ex adulterio solus Princeps acquirit jus, ut illud punire valeat.

A T T R I T I O.

26. Quæritur. An sit damnata illa opinio, quæ docet: Posse in Confessione

si quis

sione uti attritione ex timore pœnarum temporalium, quæ à Deo tamquam à delictorum vindice infliguntur?

Resp. Talis opinio speculativè sumpta, quatenus docet, validum esse illud sacramentum non comprehenditur sub *propositione prima inter damnatas ab Innoc. XI.* quia in ea non damnantur opiniones speculativæ circa valorem Sacramenti; si verò hæc sententia doceat, esse licitum deducere in praxim id genus attritionis cum advertentiâ, subjacet damnationi, quia est minus tuta, & versatur circa valorem Sacramenti: quod si bona fide pœnitens confessus est peccata sua cum ea sola attritione, non tenetur postea repetere illam Confessionem, quia quando probabile est, fecisse bonam Confessionem, non tenetur illam repetere.

27. Quæritur. An ad valorem, & effectum sacramenti pœnitentiæ consequendum sufficiat attritio naturalis?

Resp. Cum attritio naturalis sit illa, que elicitur ex motivo non supernaturali, sed purè humano, qualis est dolor de peccato: v. g. *ex timore infamiae apud homines, & non ut respicit Deum tanquam ultorem peccati*, idcirco pars affirmativa est improbabilis, ac damnata *ab Innoc. XI. cum propositione 57.* tam quoad pœnitentiam, quam quoad baptismum in adulto, ut constat *ex Trident. sess. 14. cap. 4.* quia attritio merè naturalis, etiam honesta nequit esse pars essentialis sacramenti pœnitentiæ, cum nec ad fructum, nec ad valorem illius sufficiat.

28. Quæritur. An peccet, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem; & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo respectu ad Deum offensum?

Resp.

Resp. Negative, immò verò honestè operatur, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, quamvis hic actus non procedat ex motivo charitatis, nec dicat respectum ad Deum offensum, ratio est, quia *Tridentinum Sess. 14. cap. 4.* definit, hujusmodi odium peccati, seu attritionem ex turpitudinis peccati consideratione conceptam, non secus ac attritionem conceptam ex pœnarum metu: *Non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus*: quod autem loquatur de attritione elicita non ex motivo charitatis, constat ex his verbis sequentibus: *Et quamvis sine sacramento pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentia impetrandam disponit*. Ergo non solum non peccat, sed honestè operatur, qui odio habet peccatum præcisè ob ejus turpitudinem, quamvis requiratur, quod hujusmodi odium procedat ex hoc motivo turpitudinis, ut lumine fidei cognito, atque adeo quod procedat ex comprincipio supernaturali, ut sit supernaturale, & possit dici antonomastice Dei donum, & Spiritus Sancti impulsus, & ut possit ad gratiam impetrandam in sacramento disponere; cum non possit actus naturalis disponere ad gratiam supernaturalem: *Perpende propositio- nem 9. inter damnatas ab Alexandro VIII.*

29. Quæritur. An sit verum, quod intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non sit recta, nec Deo placens?

Resp. Esse falsum, & ab *Alex. VIII.* express-

pressè damnatum cum propositione 10. quia do-
 ctrina hæc descendit ex erroribus Calvini,
 & Lutheri, ille hæc habet: *Dei iudicio nihil
 est sincerum, nihil probum, nisi quod ex perfecto
 ejus amore manat*; Lutherus verò: *Contri-
 tio, qua paratur per amissionem aeternæ gloria fa-
 cit hypocritam, immò magis peccatorem*: adver-
 sus utrumque definit *Trident. sess. 6. canon. 31.*
*Si quis dixerit: justificatum peccare, dum intui-
 tu aeternæ mercedis operatur, anathema sit*; &
*in cap. 11. ejusdem sess. dicitur: constat, eos or-
 thodoxa Religionis doctrina adversari* &c Ne-
 que dici potest, quod Trid. velit solùm non
 contineri peccata in operatione licita in-
 tuitu mercedis, si ad gloriam Dei ea refe-
 ratur, & ex amore benevolentia divinae
 merces queratur; nam Trid. in Can. cita-
 to damnat hæreticos, qui asseriebant, pec-
 catum contineri, quando quis præcisè in-
 tuitu mercedis benè operatur; deindè quia
 passim Scripturæ, & SS Patres nos excitatos
 ad benè operandum volunt intuitu merce-
 dis: *Apoc. Esto fidelis usque ad mortem, & da-
 bo tibi coronam vitæ: 1. ad Cor. 9. omnis, qui in
 agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi
 quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos
 autem incorruptam: David Ps. 118. Inclina vi-
 cor meum ad faciendas justificationes tuas in æ-
 ternum propter retributionem. August. in Psal.
 120. noli facere bonum opus, nisi propter vitam
 aeternam, idè fac, & securus facies*: denique
 ratione id evincitur, quia honestum, &
 Deo gratum est dolore de peccato, & le-
 gem servare ex metu gehennæ; ergo, e-
 tiam intuitu mercedis, nam Deus hac de
 causa designavit, tam gehennam pravis;
 quàm cœlestem beatitudinem bonis opera-
 tionibus, ut illius formidine, & hujus spe
 ad

ad culpas detestandas, & ad bonum prosequendum impelleremur; ergo iis mediis ad id adjuvari est honestissimum.

30. Ex dictis sequitur 1. Falsum esse, quoddam actus spei Theologicæ ad charitatem pertineat, cum objectum formale spei sit Deus, ut bonus nobis; objectum verò formale charitatis sit Deus, ut bonus in se; quod constat, tum ex omnium Theologorum consensu, ac doctrina, tum ex Trident. loquente de spe, tanquam de virtute distincta, dicit enim *sess. 6. cap. 7. in justificatione simul hac omnia accipit homo fidem, spem, & charitatem*; tum ex Apostoli 1. ad Cor. 13. *Nunc manet fides spes, & charitas, tria hac, major autem horum est charitas*; ubi comparat charitatem cum spe tanquam cum virtute distincta, & oppositum est hæreticum.

31. Sequitur 2. Manifestè falsam esse propositionem decimam tertiam ab eodem Pontifice damnatam, quæ habet: *Quisquis etiam aterna mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*. Ratio est, quia constat consistere posse actum concupiscentiæ, quo Deum nobis amamus per actum spei Theologicæ, non solum sine actu charitatis, sed etiam in peccatoribus carentibus gratia, & charitate habituali; quinimò spem ipsam habitualement infusam consistere in peccatoribus fidelibus, quoties peccatum non adversatur spei, vel fidei, constans est Theologorum opinio: Quamvis enim *Tridentinum sess. 6. cap. 15. Solum de fide habituali, non verò de spe explicitè dixerit, posse à charitate separari, eo quod Deus ex sua*
mi-

miseriordia velit peccatoribus relinquere fident, quæ initium salutis est, ut possint per actus fidei ad resurgendum disponi; nihilominus communiter Theologi idem docent de spe, cum eodem *Trident. sess. 6. cap. 6.* quod peccator per fidem, simul & spem ad justificationem disponatur; quare non est peccaminosa, sed potest esse supernaturalis, & Theologica spes veniæ, ac æternæ beatitudinis, & actus concupiscentiæ, quo Deum amamus ut bonum nobis, idque etiam in peccatore, cui proinde non vitio vertitur, sed laudi, ex dictis, intuitu mercedis, præsertim æternæ Deo famulari, etiam si charitate careat, tum actuali, cum habituali.

32. Queritur. An timor gehennæ sit supernaturalis?

Resp. Opinionem negativam damnavit *Alexander VIII. cum propositione 14.* Ratio est, quia sæpè scripturæ homines ad servanda mandata, & ad pœnitentiam excitant timore gehennæ, ac pœnarum: ergo hujusmodi timor est rectus, atque adeo cum procedat ex motivo lumine supernaturali cognito, est supernaturalis; antecedens patet, nam *Lucæ 13.* dicitur; *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis; Matth. 7.* *Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mitterur; & David Psal. 118.* *Confige timore tuo carnes meas à judiciis enim tuis timui,* hinc *Tridentinum sess. 6. Can. 8.* anathematizat, qui dixerit: *gehenna metum per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: similiter sess. 14. Can. 5.* anathematizat, qui dixerit, *dolorem ex gehenna metu conceptum non esse utilem;*

lem;

dem; Et ad gratiam non preparare; Et cap. 9. huiusmodi timorem idem Tridentinum: appellat bonum motum, Deidonium, & Spiritus Sancti impulsum; ergo timor gehennæ, etiamsi sit servilis, quo quis culpam fugit, ne pœnam incurrat, est bonus, si procedat, ut dictum est, ex motivo lumine supernaturali cognito.

33. Quæritur. Quotuplex sit timor?

Resp. Quadruplex: Filialis, initialis, servilis, & mundanus; mundanus timor dicitur, quo quis ob metum mali temporalis Deum deserit; ver. gr. fidem negat, ne à Tyranno cruciatur, hic timor proculdubio vitiosus est; Filialis dicitur, quo quis ad Deum, convertitur, & legi obtemperat ob culpæ timorem, filiorum quippè est timere offensam Patris, & hic citra controversiam est perfectus, ortumque suum habet à charitate, hinc inter septem Spiritus Sancti dona enumeratur; Initialis est mixtus ex filiali, & servili, eoque quis fugit peccatum, & quia timet Deum offendere, & ab ipso separari, & quia timet pœnas gehennæ, undè importat quemdam actum charitatis imperfectæ quandoquidem iuxta illud *Joan. 4. perfecta charitas foras mittit timorem*; servilis demum timor est, quo quis culpam fugit, ne incurrat pœnam, non quidem formaliter; scilicet eo affectu, ut culpam vellet, si pœna abesset, nam huiusmodi timor imbibens amorem culpæ est peccaminosus, & de hoc dicitur illud: *oderunt peccare mali formidine pœna*, sed omninò præscindendo ab eo, quod fieret, si pœna abesset, & cum procedat ex motivo lumine supernaturali cognito, erit bonus, & supernaturalis.

45. Quæ-

34. Quæritur. An attritio ex gehennæ, & pœnarum metu concepta sine dilectione benevolentia Dei propter se, sit bonus motus, ac supernaturalis?

Resp. Affirmativè, cum oppositum sit expressè damnatum ab *Alexand. VIII. cum propositione 15.* est enim error affinis omninò præcedenti, quòd scilicet timor gehennæ non sit supernaturalis, quia ut constat ex superius dictis, *Tridentinum sess. 14. cap. 4.* docet, attritionem, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam esse donum Dei, ac Spiritus Sancti impulsum, & ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento pœnitentiæ disponere, necnon esse bonum motum, sine quo gratia in eo Sacramento non confertur: ergo ex *Tridentino* huiusmodi attritio, non solùm est bonus motus, sed etiam est supernaturalis, si concipiatur ex motivo per fidem proposito, quin requiratur dilectio benevolentia Dei propter se, maximè quia non dilectio, sed fides est principium supernaturalitatis.

35. Quæritur. An huiusmodi attritio ex gehennæ, sive pœnarum metu concepta absque ulla dilectione benevolentia Dei sufficiat in Sacramento penitentiæ, tanquam ultima, & proxima dispositio ad gratiam?

Resp. Communior, sententia docet, attritionem, secluso quovis motivo charitatis, etiam putato, sufficere; nam ex *Tridentino sess. 14. cap. 4.* huiusmodi attritio ad Dei gratiam in Sacramento penitentiæ impetrandam disponit; nec potest hoc intelligi,

ligi, ut contendunt multi de dispositione remota, quia hanc habet attritio supernaturalis independenter à Sacramento penitentiae, ergo intelligi debet de dispositione proxima, quia aliter Sacramenta mortuorum instituta ad vivificandum, nunquam vivificarent; si semper supponerent contritionem, & gratiam, sed neque requiritur, ut aliqui putant, quod attritioni annecti debeat, aliqualis Dei dilectio, quia si hæc requireretur semper haberetur justificatio ante Sacramentum penitentiae, nam sive dilectio sit debilis, hoc est remissa, sive sit intensa, semper ejusdem speciei est, unde semper sufficit ad justificationem ante Sacramentum penitentiae, nam certè ad perfectionem essentialem charitatis, & contritionis dolentis peccatum, & reatum aeternae damnationis non requiritur ullus determinatus gradus intensiois, ut docent communissimè cum Angelico in 4. distin. 17. quest. 2. Sed sufficit Dei dilectio, quæ solùm sit super omnia appetitativè, licèt non sit super omnia intensivè; igitur si in attritione requisita ad Sacramentum penitentiae deberet includi aliqualis Dei dilectio super omnia, licèt remissa, ac debilis, semper ante absolutionem haberetur justificatio, atque adeò sententia ista coincideret cum sententia communiter rejecta requirente in Sacramento penitentiae contritionem.

36. Quæritur. An licèt possimus in Sacramento penitentiae adhibere hujusmodi attritionem supernaturalem conceptam ex puro metu gehennæ, & pœnarum cum proposito non peccandi de cœtero, absque ulla dilectione Dei?

Res.

Resp. Licitum esse in Sacramento pœnitentiæ adhibere attritionem supernaturalem absque alia dilectione Dei inchoata, condistincta à voluntate reconciliandi se cum Deo, ab odio peccati, quamvis ex motivo pœnarum concepto, à proposito non peccandi de cætero, & à spe de remissione obtinenda &c. Ratio est, quia in Sacramentis conferendis, quamvis illicitum sit uti opinione probabili de illorum valore, ommissa tutiore, non est tamen illicitum uti opinione tuta ommissa tutiore, opinio enim tuta nõ subest morali periculo falsitatis, sed periculo tantum valdè remoto, quod cavere in humanis actionibus est moraliter impossibile, ac proinde ad illud cavendum non obligamur, sed opinio de sufficientia attritionis ex puro pœnarum metu conceptæ, est tuta, spectatis verbis, ac mente Tridentini, spectatis rationibus, ac spectata communiori Theologorum sententia; igitur licitè in Sacramento pœnitentiæ adhibetur attritio ex mero pœnarum metu concepta, cum sit bonus motus, ac supernaturalis, si reguletur à fide.

37. Dices: Alexander VII. advertens, hinc indè acriter Theologos digladiari super hac necessitate aliqualis amoris in attritione ad Sacramentum pœnitentiæ requisita, vetuit, ne alterutra ex his opinionibus censuraretur; ergo non possumus licitè uti attritione absque ulla dilectione Dei, ommissa sententia requirente eam dilectionem?

Resp. Summus Pontifex in suo decreto die 5. Maii 1667. edito; quod incipit: *SS. D. N. Cum accepisset. &c.* Solùm decrevit, ne censura ulla inureretur alterutri ex opi-
nio-

nionibus dictis, immò addidit, inter scholasticos communiorem esse sententiam non requirentem hujusmodi amorem; & sanè si sententia hæc, quam Pontifex dicit esse communiorem, solum esset probabilis, & non tuta proculdubio exponeretur periculo frustrationis Sacramentum, undè non liceret eam in praxim deducere; cum autem Pontifex sententiam excludentem hanc necessitatem non solum non damnaverit, sed etiam dixerit, eam esse communiorem inter Scholasticos, profectò videtur illam, ut tutam tolerare, atque adeo solum ad dissensiones vitandas voluit vetare, nè alterutra ex sententiis censura ulla notaretur.

B A P T I S M U S.

38. **Q**Uæritur. An sit licitum baptizare in minima parte corporis v. g. in digito, in capillis &c.

Resp. Esse peccatum mortale ita baptizare extra necessitatem, quia hæc opinio est minus tuta circa valorem, ideoque non licet eam deducere in praxim; idem dicendum de baptismo infantis pelle secunda circumdati.

39. **Q**Uæritur. An liceat baptismum conferre in liquoribus ex herbis expressis, aqua ex sale resoluta, jusculo, lixivio &c.

Resp. Quamvis non improbabiler opinentur aliqui, tales liquores non differre specie ab aqua naturali, ideoque baptismum esse validum in his materiis collatum, tamen quia opposita sententia est tutior, & versatur circa valorem Sacramenti, erit grave peccatum ministrare baptismum.